



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XXII. S. Cornelivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

3. q. 6. c. qui
crimen.

si voluerit, taceat, & vt pulsatis, quotiens appellauerint, induciæ dentur, Adhæc statuit crimen quodlibet cui libet temerè ex ira obiectum non esse pro accusatione habendum, & vt quicumq; accusationem per scripturam se probaturum esse fateatur, & si non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulit, patiat. Probatio autem & causa ibi semper agatur, vbi crimen admittitur, nisi si Episcopus Apostolicam Sedem appellauerit. Tunc verò id statuendum esse, quod eiusdem Sedis Pontifex statuerit.

XXII.

A. CCLIV.

S. CORNELIVS.

^a epist. 2.

2. q. 4. c. nos
sanctorum. &
c. nos sacra-
mentum.

* addicit.

3. q. 6. c. omnia.

CORNELIVS, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annos 2. menses 2. dies 3. Hic ideò, quia epistolam à B. Cypriano Carthaginensi Episcopo acceperat, iussu Decii capite detrunctur 3. nonas Martii. Hic ordinauit Episcopos 7. presbyteros 4. diaconos 4. Hic rogatus à quadam matrona, Lucina nomine corpora Apostolorum Petri & Pauli de catacumbis noctu leuauit, & primo quidem corpus B. Pauli silentio leuatum est, ac positum in prædio prædictæ matronæ, via ostiensi ad latus, vbi decollatus est. Postea verò corpus B. Petri accepit, & condecenter posuit illud iuxta locum, vbi crucifixus est inter corpora Sanctorum Episcoporum in templo Apollinis in monte aureo in Vaticano palatii Neroniani 3 Kal. Iul. Idem prædictus Papa & martyr in epistola, a quam Rufo coepiscopo consultus misit iuxta præceptum Domini in Euangelio, & Iacobi Apostoli in sua epistola, & omnium Apostolorum, & suorum antecessorum præcepta sequens, & iura confirmans, incauta sacramenta à sacerdotibus fieri penitus vetat. quia ante suum tempus à summis sacerdotibus, vel à reliquis sacramenta non esse exacta vel exhibita nisi pro fide recta testatur. Item in eadem, sicut & alii antecessores sui fecerant, prouidendum esse affirmat, ne oves suum pastorem, nisi à fide exorbitauerit, reprehendere aut accusare præsumant, quia tales accusationes vim non habent, neque pastoribus nocere possunt. Item prohibet, ne vllus sacerdotum causam suam alieno committat iudicio, sed semper habeat cōprouinciales, & notos iudices, nisi illic vim temerarię multitudinis timuerit, aut infestos, vel suspectos iudices habuerit. Pro his enim causis ad maioris auctoritatis iudices & ad alias prouincias appellare & venire concessum est. Item in eadem affirmat omninò esse vacua omnia illa, quæ in omni negotio, aut loco aduersus absentes aguntur, aut iudicantur, quoniam absentem nullus * abdicat, nec vlla lex damnat.

XXIII.